

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

BOLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0020

Giovedì 12.01.2017

Lettera del Santo Padre all'Inviato Speciale al IV Congresso Apostolico Mondiale della Misericordia (WACOM IV) (Manila, 16-20 gennaio 2017)

In data 2 gennaio 2017, è stata pubblicata la nomina dell'Em.mo Card. Philippe Barbarin, Arcivescovo di Lyon, come Inviato Speciale al IV Congresso Apostolico Mondiale della Misericordia (*WACOM IV*), che si terrà a Manila nei giorni 16-20 gennaio 2017.

L'Inviato Speciale sarà accompagnato da una Missione Pontificia composta dai seguenti ecclesiastici:

- Rev.do Don Patrice Chocholski, francese, attuale Parroco di Ars e Segretario Generale dei Congressi della Misericordia;
- Rev.do Don Prospero V. Tenorio, filippino, Segretario Generale per *WACOM Asia* e Rettore del Santuario Nazionale della Divina Misericordia nelle Filippine.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre all'Em.mo Card. Philippe Barbarin:

Lettera del Santo Padre

*Venerabili Fratri Nostro
Philippe S.R.E. Cardinali Barbarin
Archiepiscopo Metropolitae Lugdunensi*

Christum glorificamus, qui natus est de Maria Virgine ex virtute Spiritus Sancti, eumque deprecamur ut omnes fideles in pace et mutua caritate corroboret. Placet etiam Nobis, hoc potissimum tempore Nativitatis Domini nostri, Dei omnipotentis misericordiam extollere qua omnes cotidie fruimur dum spirituali in itinere progredi studiose conamur. Nunc autem animum Nostrum ad singularis ponderis eventum convertimus, tempus precis, meditationis atque spiritualis renovationis, videlicet ad IV Congressum Apostolicum Mundiale de Misericordia, vulgo *WACOM IV*, qui a die XVI ad diem XX huius mensis Ianuarii Manilae celebrabitur. Eius participes de urgenti necessitate novae in toto orbe sententiae de misericordia disserere volunt quaestiones spirituales et sociales nostrae aetatis attente considerantes.

Laeto igitur animo epistulam accepimus Venerabilis Fratris Nostri Christophori S.R.E. Cardinalis Schönborn, Archiepiscopi Metropolitae Vindobonensis atque Praesidis Comitatus Cardinalitii Congressum WACOM, qui humanissime a Nobis quaesivit ut aliquem eminentem ecclesiasticum virum eligeremus qui Nostro nomine huic Congressui praeesset. Itaque ad Te, Venerabilis Frater Noster, animum Nostrum vertimus qui Ecclesiam Lugdunensem studiose moderaris quique diligentem operam pauperibus das iuvandis omnibusque vario modo egentibus.

Idcirco harum Litterarum vi Te designamus Missum Extraordinarium Nostrum, mandatis Tibi factis, ut memoratis diebus Manilae sacris celebritatibus et congressionibus Nostro nomine praesisis atque Nostros spiritales sensus pastoribus fidelibusque ibi congregatis humaniter renunties. Cunctos adhortaberis ad praeceptum caritatis assidue servandum, ad spiritalem vitam in familiis, paroeciis et in religiosis communitatibus novo studio renovandam adque notionem misericordiae variis in provinciis operibus propagandam.

Dum per Te, Venerabilis Frater Noster, omnes consalutamus Praesules, in primis Venerabilem Fratrum Nostrum Aloisium Antonium S.R.E. Cardinalem Tagle, Archiepiscopum Metropolitam Manilensem, nec non fideles qui hanc urbem incolunt et advenient, sicut etiam civiles Auctoritates, precibus Nostris omnes comitamus iisque ominamur ut Dei omnipotentis et misericordis Vultum contemplantes necessaria auxilia, Beata Maria Virgine intercedente, invenire possint.

Munus tuum magni sane ponderis aestimantes, peculiaris benevolentiae Nostrae pignus Apostolicam Benedictionem Tibi peramanter impertimus, universis Congressus participibus copiose transmittendam, dum a vobis cunctis preces expostulamus, ut pergrave Petrinum munus secundum divinam voluntatem diligenter exercere valeamus.

Ex Aedibus Vaticanis, die IX mensis Ianuarii, anno MMXVII, Pontificatus Nostri quarto.

FRANCISCUS

[00049-LA.01] [Testo originale: Latino]
